

nionem realem et spiritualem. Seponendi sunt quoque actus humani qui per se inefficaces sunt, ut si quis vellet peragere solus quaecumque bene vel male in toto orbe peragantur. Nimis enim manifestum est per hanc velleitatem non contrahi eamdem bonitatem vel malitiam ac si haec omnia exsecutus esset. Inquiritur ergo tantum de moralitate formalis actionis humanae per se efficacis, sed quae per accidens inefficax manet, qualis est seria voluntas dandi eleemosynam in eo qui comperit crumenam suam esse inanem. Supponendo actum interiorem ex eadem gratia eodemque motivo procedere, quaeritur num haec volitio eamdem moralitatem ac proinde idem meritum habeat ac si exterior actus eam secutus fuisset.

Juxta communem Theol. sententiam. actus exterior per se non addit moralitatem formalem, sed materialem tantum.

Ratio est, quia formalis moralitas tota quanta desumitur e cognita et libere volita conformitate cum regula morum. Haec autem integra habetur in actu interno. In hunc sensum Christus : " Omnis, inquit, qui videbit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. " (Matth. V, 28) Quae verba sic explicat S. Augustinus (de lib. arbit. I, 1. c. 3. n. 8) : " Si cui etiam non contingat facultas concubendi cum conjugi aliena, planum tamen aliquo modo fit id eum cupere, et, si potestas detur, facturum esse, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur. " Frustra adversarii provocant ad obligationem accusandi actum externum in confessione : nam hujus obligationis ratio optime reddi potest in sententia nostra, ut patebit e dicendis in Tract. de Paenitentia. (Vol. II. n. 289)

Per accidens tamen, et plerumque de facto, actus externus auget meritum vel demeritum interni, quia actus, per exsecutionem, solet pluries repeti vel fieri intensior et diuturnior.

CAPUT V.

DE MERITO.

42. Postquam de actuum humanorum moralitate dictum est, juvabit quedam addere de eorum merito, quo velut ultimum suum complementum et perfectionem obtinent. Solent quaestiones de merito apud Theologos Dogmaticos agitari in tractatu de Gratia. Cfr. Em. Mazzella, Tract. de Gratia habituali, Disp. VI. Quare breviter tantum praecipuas notiones et principia recensebimus.

43. Meritum *in genere* est jus quoddam ad obtainendum praemium pro opere quod in alterius obsequium praeſatur. Potest quidem in omni actione bona hominis spectari ejus meritum ad praemium mere naturale obtainendum a Deo in cuius gloriam cedunt omnes actiones honestae. Sed in praesenti condicione naturae per gratiam elevatae, juvat unice spectare meritum supernaturale, quo scil. Deus moveatur ad praemium supernaturale nobis concedendum.

Meritum *supernaturale* dividitur in meritum **de condigno** et meritum **de congruo**. Prius habetur ex opere cuius valor est quodammodo aequalis praemio, ita ut istud ex justitia homini debeatur ; posterius habetur ex opere quod caret omni aequalitate cum praemio et proinde omni justitiae titulo.

Objectum meriti condigni contra Novatorum errores asseruit Conc. Trid. Sess. 6. can. 32, in quo anathemati subjicit eum qui dixerit " ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum. " Cfr. ib. cap. 16 et can. 26. Adverte haec meriti condigni objecta ad solum operantem restringi.

Objectum meriti congrui sunt aliae gratiae et auxilia quae homo tum sibi, tum aliis mereri potest. Inter haec potissimum recensentur : gratiae efficaces quibus gratiam sanctificantem primam accipiamus, conservemus, augeamus, immo etiam (in sententia Bellarmini, Suarezii et aliorum plurimorum) post lapsum recuperemus ; finalis perseverantia.

Licet nonnullam similitudinem habeant meritum de congruo et vis impetrandi, viget tamen hoc discrimen quod in priori Deus ad dona sua largienda movetur illa aliquali dignitate quam in opere merentis intuetur, in posteriore vero unice liberalitate sua et promissione quam, propter Christi merita, fecit.

44. Praecipue attendenda sunt **condiciones** requisitae ut meritum ex condigno habeatur. Sunt autem sequentes :

1º Ex parte hominis merentis :

a) Ut sit viator. Nam post mortem locus nullus merito datur. Cfr. Eccli. XI, 28.

b) Ut sit in statu gratiae. Qui enim dignus est poena aeterna, nequit simul dignus esse praemio quod in visione beatifica consistit vel ad eam ordinatur. Immo valor operis crescit cum perfectiore gradu gratiae sanctificantis ad quem operans pervenit.

2º Ex parte ipsius operis :

a) Ut sit actus moraliter bonus : secus enim in obsequium Dei cedere nequit.

b) Ut sit actus supernaturalis : secus enim cum praemio obtinendo nullam haberet proportionem. Ad hoc autem requiritur procul dubio ut ponatur sub influxu gratiae excitantis et adjuvantis.

Insuper communior sententia Theol. necessarium dicit ut actio ponatur e motivo supernaturali quo ad Deum referatur. Ita Lehmkuhl (I. n. 258); Bouquillon (Theol. fundam. p. 674); Gury (I. n. 35), etc. Nituntur imprimis pluribus locis S. Scripturae quibus ad praemium supernaturale requiritur ut actus naturaliter bonus ponatur ex motivo fidei, ex. gr. Math. X, 41 : "Qui recipit prophetam *in nomine prophetae* mercedem prophetae accipiet." Cfr. Math. V, 46; Rom. II, 7.

Nihilominus probabilius opinamus cum Ball. P. (n. 202 seq.) : ad actum meritorium sufficere ut aliquis se semel per actum caritatis in Deum ordinaverit, alias vero actiones in finem earum proximum referat. Hanc doctrinam perspicue pluribus locis tradere videtur S. Thomas, ex. gr. opusc. de Malo, q. 2. a. 5. obj. 10, quam concedit : "Ille qui habet caritatem se et omnia sua ordinavit ad Deum, cui inhaeret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad quodecumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet, nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis ad Deum. Sed hoc esse non potest quin sit peccatum saltem veniale. Ergo omnis actus habentis caritatem vel est meritorius vel est peccatum et nullus indifferens." Reapce non carent influxu fidei et motivo supernaturali hujusmodi actus justorum. Christianus enim qui semel elicuit firmum propositum acquirendi actibus suis vitam aeternam, tamdiu ex hoc proposito agit quamdiu illud non revocat, neque positive, neque negative, neque explicite, neque implicite, qualis revocatio adest in omni gravi peccato. Neque necessarium est ut in quolibet bono opere justus cogitet hunc actum in specie revelatum esse a Deo ut salutarem, cum Christiani sciant nobis, tamquam viam ad finem, propositam esse a Deo etiam observationem legis naturalis, ut patet e sermone Christi in monte. (Pesch, Prael. Dogm. t. V. n. 408 seq.)

Verum etiam qui huic posteriori sententiae adhaeret fideles adhortari debet ut crebro motiva supernaturalia, praesertim caritatis, voluntate sua amplectantur. Nam ubi agitur non de obligatione eliciendi actus supernaturales, sed de iis actibus libere eliciendis ut meritum augeatur, non juvat opinionis probabilitas, sed sola veritas : siquidem non foret aeternae vitae meritorius actus cui deesset una ex essentialibus meriti condicionibus ; deinde nemo dubitat quin talis intentio saepius renovata, praecipue e motivis perfectissimis, merita plurimum augeat.

3º *Ex parte ipsius Dei* : promissio conferendi talem mercedem pro tali opere. Ratio est quod Deus, supposito merito condigno, tenetur ex justitia ad praemium supernaturale reddendum, Jamvero fieri nequit ut

Deus teneatur ad reddendam vitam aeternam ceteraque dona supernaturalia operibus nostris, independenter a liberali promissione sua, cum omnia ad Ipsum, jure creationis, pertineant. Ergo ut exsistat meritum condignum, requiritur promissio qua Deus se antea obligarit ad tale praemium operibus nostris reddendum.

Igitur opus bonum, antecedenter ad promissionem divinam, habet quamdam proportionem, non tamen absolutam aequalitatem cum vita aeterna ideoque meritorium est in actu primo. Per divinam autem promissionem eamque solam, illud determinatum praemium fit huic operi debitum et exsurgit condignitas meriti in actu secundo. Cfr. Mazzella, I. c. th. 41.

Quodsi deest vel status gratiae in operante vel promissio certa in Deo, opus erit tantum meritorium de congruo, vel absolute, vel saltem relate ad certa quaedam dona non promissa, ut puta gratias efficaces et perseverantium finalem.